

QVÆSTIO MEDICA

An Fami Caninæ Butyroſa conveniant.

AVSPICIIS

PERILLVSTRIS ET REVERENDISSIMI DOMINI

D. MICHAELIS DOMINICI DE GARCIN

Inſignis Eccleſiæ Sancti Deſiderii Præcentoris,
Academiæ Avenionenſis Primicerii,
Rectoris, Iudicis, & Privilegiorum Conſervatoris.

Præſide Nob. Viro D. D. ALEXANDRO DE SERREPUY Doctore Medico Aggregato, & Profeſſore Primario & Botanico.

Affirmativam tuebitur Nob. JOSEPHUS FYOT Martinianenſis, Diœceſis Auguſtodunenſis; Artium Liberalium Magiſter, & jam dudum Medicinæ Studioſus.

PRO BACCALAUREATU



I.

VENTRICULUS vulgariter ſtomachus cibi potioniſque eſt receptaculum concoquendis cibis deſtinatum contrariis ac maximé inter ſe diverſis morbis obnoxium, ita ut non ſolum nimiâ ſenſibilitate, nauſea, rugitu, eructatione, doloribus, vomitu, inflatione &c. Sed & cibi faſtidio & inſatiabili ejus appetitu infeſtetur. Immodicum illud comedendi deſiderium etiam poſt aſſumpta copioſâ alimenta famis caninæ vocabulo nominatur: dicitur etiàm à Græcis *Boulimia*, quidam tamen famem caninam & boulimiam in hoc differre aſſerunt, quod in primâ multum appetatur, multum etiam & comedatur. In ſecundâ vero multum appetatur & paucum comedatur. Quippé hanc ſubſequntur aut alvi fluxus aut vomitus, ut Canibus accidit qui vomunt ut plurimum poſtquam ſe nimio cibo ingurgitarunt, iſtam autem nec vomitus nec alvi fluxus, ſed animi deliquium, quo fit ut quamvis multa appetantur, ea tamen ob ingraveſcentem Lypothimiam fatiſcentibus viribus non comedantur. Ut ut ſit nec vomitu nec alvi fluxu nec animi deliquio famem Caninam aliquoties ſtipari multi teſtantur auctores.


II.

IN exquirendis hujusce morbi ſignis non immorabimur, quippe hic ſatis per ſe ipſe dignoſcitur. Cauſæ ejus procatarcticæ multæ recenſentur, nimius ſcilicet acidorum ſalſorumque uſus, vinum acidum aut ex immaturis uvis expreſſum, acetaria, mœror, triſtitia, temperamentum melancolicum, diuturna mentis contentio, immoderatę corporis evacuationes, menſtruorum & hæmorrhoidum ſuppreſſio, aër maritimus, aliaque quibus ſanguinis activa principia ita deprimuntur aut diſſipantur ut ſalia nec atteri nec volatiliſari queant, quin potius eadem ad majorem molem aucta majorem etiam impreſſionem excitent in fibris nerveis quibus tertia totius ventriculi tunica diverſimode intertexta eſt. Conſtat etenim ex Legibus Mecanicis majorem eſſe magni quàm parvi globuli plumbei in parietem projecti impreſſionem; cum itaque fames Canina ſit appetitus auctus, & appetitus ſeu fames naturalis ſit moleſta ſenſatio in ventriculo commota quâ determinamur ad ſolidum appetendum, cum hæc excitetur à liquore acido-acri per glandulas ventriculi filtrato & ſeparato qui tunicam nerveam vellicat & iſta famis ſenſatio tamdiu dominetur donec prædictus liquor cum ingeſtis intimé miſceatur, ipſorum maſſam velut ſpongiam ſubeat, & cum iis confuſus ita miteſcat, ut nullam poſſit irritationem commovere, ſi ſalia quibus turget ob jam recenſitas cauſas majorem molem acquiſiverint, hæc nec ab ingeſtis ſubigi poterunt, nec demulceri, nec irretiri, ſed ſui juris facta, tunicam nerveam rigidiſſimis ſuis continuó lancinabunt aculeis, appetitum ciebunt inexplebilem, vehementius in os ſuperius ventriculi impingent, undé Lypothimia, quia prædictum os inſignibus propaginibus nerveis ad cor excurrentibus munitum eſt. Cur autem famelici ingeſtos cibos ut plurimum evomant, ratio impromptu eſt vel eorum ſtomachus alimentorum copiâ & gravitate fatigatur & diſtenditur ita ut ea ferre nequeat, vel ſalium aculei nervos irritant, & concitatis præter modum ſpiritibus fibræ ventriculi in motus excretorios adiguntur.

III.

PROGNOSIN læthalem non ſtatuimus abſentibus præſertim vomitu, alvi fluxu & Lypothimiâ, ſecus autem ſi hæc ingraveſcant; curationem brevi abſolvimus, venæ ſectionem recuſamus ſicut & purgationem, hæc nihil ad humoris morbifici correctionem aut laxæ partis corroborationem confert, iſta majorem irritationem generi nervoſo majoremque ſpirituum efferationem pariet. Salia ſalibus non debellanda, ſed ſulphuribus irritienda atque obvolvenda opinamur. Quid enim eorum ſcabrities, inæqualitas, rigiditas? Quid eorum aculei, & cuſpides? Ubi hæc omnia tomentoſis ſulphurum particulis ita irritientur, ita obvolventur, lenienturque ut immediato contactu in nervoſum genus non poterunt agere. Sic videmus ſpirituum ſtygiorum vel aquarum fortium vim pinguedinoſis, butyroſiſque enervari: ſic ſuccorum ſtomachum alluentium prædictorum ſpirituum & aquarum indolem redolentium nervoſam ventriculi tunicam rigidis quibus ſcatent ſalium aculeis pungentium famem caninam ſtimulantium ferociam omnem butyroſis, pinguedinoſiſque mitigandam ac demulcendam cenſemus. Quare

Iure concludimus Fami Caninæ butyroſa convenire.



Agitabitur in Aula Univerſitatis Avenionenſis Die Decimâ nonâ Julij 1712. à ſeptima uſque ad nonam.

AVENIONE apud FRANCISCUM MALLARD Bibliop. & Typog. Illuſt. & Excel. Prolegati Illuſt. & Excel. Archiepiſcopi, & Univerſ. 1712.